



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 62. De traditis bonis in villis Stela, Aldberteshus, Higenhus et Hamershus in pago Auga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
826 usque  
853 im-  
perante  
Hludo-  
uico et

## §. 61.

Tradidit unimod in *hoaga* (z) quiddid habuit testef yrminred marc-  
uuard marcboðo gharuuard helmuard hildiuuart uuultger aldger.

## §. 62.

Tradidit uffed in *stela* (A) et *Aldberteshuf* (B) et in *higenbus* (C) et in  
*hameresbus* (D) quiddid habuit ibi in campif uel in siluif testef redman bar-  
ding uimod liuddac.

## §. 63.

Tradidit enno comef (E) pro remedio animae ricberngangum quam  
habu-

fuisse quondam ad fluuium Adernam, hodie dictum *die Eder*. Occidentem ver-  
sus ille contiguus erat pago Itergowe in principatu Waldeccensi. Erant in hoc  
pago *Fritilar* (Fritular), *Buriaburg* (Bureburg), atque alia villa. *Tuischin*  
ergo villa videtur locus esse *Züschen*, in principatu Waldeccensi sub praefectura  
Wildungen situs ad fluuium Elbe, qui exonerat sese in flumen Adernam intra  
Landgrauatus Hassiae terras. *Thurwilou* autem villa est eadem, a qua se postea  
appellauere nobiles quidam domini, de *Thurilon* cognominati.

De villa  
Hoaga.

(z) Sequitur in nostro Registro villa *Hoiga* in pago *Enterigowi*, per quam nullum ali-  
um locum intelligi posse putamus, nisi oppidum *Hoiga ad Wiseram*, a quo qui-  
dam comites Saxoniae nostrae postea dicti sunt de Hoia. Pagum enim *En-  
terigowi* in nulla alia prouincia potissime quondam exstitisse, praeterquam in  
comitatu Hoiano, demonstraturi sumus pluribus infra. Licet ergo recentiores  
quidam historici arbitrati sint, locum Hoia demum originem habuisse seculo  
XIII, nullus tamen non videt, eos videri in errore versari. De *Wicmoda*, quae  
bona in *Hoaga* tradidit, egimus infra §. 392.

De villa  
Stela.

(A) Villam *Stela* quondam exstitisse in pago *Auga*, in quo erat Corbeia nostra, testa-  
tur Saracho abbas in Registro. Intelligimus ergo vicum *Stale* in principatu Cor-  
beiensi, qui iter vnus horae ab ipsa Corbeia nostra distat.

De villa  
Aldber-  
teshus.

(B) Aldberteshus erat, eodem Sarachone teste, situm in pago *Auga*. Eadem ergo vil-  
la est, ac ea, quam supra §. 52. not. (o) appellauimus *Albaxen*, sita vnus horae  
iter a Corbeia nostra.

De villa  
Higen-  
bus.

(C) *Higenbus* villa erat in pago *Auga*, eodem Sarachone teste, postea dicta *Hogenbur*.  
Nostra autem aetate appellatur locus *Haienbusen*, nec procul abest a famosissimo  
castro *Brunonisburgo*, intra principatum Corbeiensem eminente.

De villa  
Hame-  
reshus.

(D) *Hameresbus* villa tribuitur in Sarachonis Registro, saepissime excitato, pago *Auga*.  
In quadam charta ficta, quam exhibent Nicol. Schatenius in *Annal. Paderborn.*  
Tom. II. p. 14. seq. et *Monumenta Paderbornens.* p. 122. seqq. haec villa nuncupatur  
*Homersen*, olim sita in diecesi Corbeiensi. Hodie omnino ea desolata est,  
et probe distinguenda est a villa *Heinbusen*, quae teste diplomate caesaris Conradi  
II anno 1031 in pago *Auga* erat, et adhuc superest, nominaturque *Heinsen* seu  
*der Heinsche hof*, sita non procul a vico *Bökendorp*, nec confundenda cum villa  
*Heinsen ad Wiseram*. Haec enim vltima villa erat in pago *Tilithi*. Praeterea  
villa *Hameresbus* non permiscenda est cum villa *Hemetesbus*, sita in pago *Nitbe-  
ga*, hodie dicta *Hemsen*, et sita non procul a vico *Bruchausen* ad fluuium *Neta*,  
ob bonum puluerem nitratum, qui ibidem fabricatur, satis noto, et obnoxio  
ditioni dominorum *de Kamen*. *Uffed*, qui bona sua tradidit, in villis *Hameres-  
bus*, *Higenbus*, *Aldberteshus*, et *Stela* sita, videtur fuisse Uffo, qui §. 52. inter  
testes censetur, probabilissime cum *Adaluardo* ad familiam Brunonianam refe-  
rendus, de quo infra §. 104. pluribus exponitur.

(E) En-